I. N. S. S. T.

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

ASSASINIO SEU HOMICIDIO IMPERATO

QUAM

DECRETO ET AUCTORITATE MAGNIFICI ATQUE EXCELLENTISSIMI ICTORUM ORDINIS IN ALMA JULIA.

PRAESIDE

DN. HULDERICO EYBENIO, JCTO, PANDECTARUM PROFESS. CELEBERR. h. t. DECANO SPECTABILI, ET CONSILIARIO GUELPHICO GRAVISSIMO, &c. &c.

PRO LICENTIA.

CAPESSENDI SUMMOS IN UTROQUE IURE HONORES, DOCTORALES IMMUNITATES ET PRIVILEGIA

PUBLICO EXAMINI EXPONET

ALBERTUS FRIDERICUS à Syborg.

MAGDEBURGENSIS, REIPUBL PATRIÆ ADVOCATUS ORDINARIUS,

Ad Diem. Novembris

IN MAGNO IULEO,

Horis ante & pomeridianis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

26

HELMESTADII,

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.

CIↃ IↃ C LXXIII.

In Nomine DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI *ad omnia Conſilia, Omnesque Actus ſemper progredimur.* L. 2. C. de Offic. præf. præt. Africæ.

PEriclitaturus, divinâ favente Gratiâ, vires ingenii in ardua ſatis atque difficili ASSASINII materia operoſis eam hic efferre laudibus, operæ pretium eſſe haud arbitror, quippè cum excellentiam difficultas, dignitatem utilitas ſatis commendet.

Quum autem ASSASINIVM ſpecies quædam homicidii ſit, homicidii verò genera plura à Doctoribus enumerentur, ideoque paucula prius de Homicidio ex jurium fontibus diſſerere lubeſcit, adeoque deinceps plenius ac planius ASSASINATVS forma ac natura examinanda atque dijudicanda erit. Vt autem res feliciter ſuccedat, & propoſitum eventus approbet, ô Deus fave cœptis, annuè votis, & huic meo Labori potens Tuum Velle adde.

THESIS I.

VOx homicidii in jure noſtro modò latè & in genere accipitur pro quavis cæde, modò etiam ſtrictè & κατ' ἐξο-

χῶ pro homicidio doloſo uſurpatur. vid. *Dom. Hahnius ad VVeſemb. tit. ff. ad L. Corn. de Sicariis n. 5.* Propriè Homicidium eſt, quum homo cæditur, hoc eſt occiditur, à cæde enim derivatur, *per L. 51. pr. ff. ad L. Aquil. Iohann. Calvinus in Lexico Iurid. voc. homicidium*, & vulgò deſcribitur, QVOD SIT EXANIMATIO HOMINIS AB HOMINE NON JURE FACTA. Generis loco poſui EXANIMATIONEM, qua voce quoque utitur ICtus Ulpianus *in L. 11. §. 5. ff. ad L. Aquil.* atque percuſſionem ac exanimationem ſatis accuratè ibidem diſtinguit, huc etiam ſpectat illud Canoniſtarum *in Can. quod verò, 8. XXXIII. qv.* 2. ubi dicitur, quod formatum non eſt, nec animatum poteſt intelligi, ideoque puerperii non formati, non eſt homicidium, quum exanimatum dici nequeat, ſi adhuc animam non habebat, vel, uti Philoſophi loquuntur: Omnis privatio præſupponit habitum, uti pluribus poſteà erit dicendum *in §. ſeq. vid. Petrus Gregorius Tholeſanus Lib. 30. c. 11. n. 5.* Porrò dixi HOMINIS, id eſt, Corporis naturalis humanâ ſpecie, & anima rationali præditi. Humana quippè facies ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis figurata eſt, *L. 17. C. de pœnis c. interfeciſti. 2. X. de homicid. voluntario vel Caſuali. C. hæc imago 13. XXXIII. qv. 5.* & ex facie quinam ſimus præcipuè cognoſcitur, inquit Ariſtoteles *Sect. 30. probl. 1. conf. L. 44. ff. de Relig. & ſumpt. fun.* & porrò, quod anima rationali caret, homo, dici non poteſt. *C. in quadam 8. X. de Celebr. Miſſarum c. cum Chriſtus 7. X de Hæretic.* & Philoſophus inquit, *Lib. 1. de part. animal. c. 1. mortuus homo, quanquam figuræ formam habeat eandem, tamen homo non eſt.*

II.

Hinc concludunt Dd. partum, qui ad monſtrum prodigiumque declinat, & belluinam potius quàm huma-

nam

nam formam repræſentat, impunè occidi poſſe. *L. 14. ff. de ſtatu hominum l 3. c. de poſthum hæred. inſtit. vel exhæred.* Eum autem, qui corpori inanimato caput amputavit, neque irregularem, neque homicidam eſſe, quamvis animum occidendi habuerit. Ipſæ quoque Leges, quum de abacto partu agitur, ita demum mulierem pœnæ Legis Corneliæ ſubjacere volunt, ſi fœtum formatum & animatum abigat. *L. 36. ff. de pœnis. L. pen. C. ad L. Cornel. de Sicar. c. conſuluiſti 20. 11. qu. 4.* quod ſi verò informem adhuc & inanimum perdat, extra ordinem mitius coërcendam cenſent. *L. 4. ff. de Extraord. Crimin. L. 8. ff. ad L. Cornel. de Sic. c. ſicut ex Literarum. 20. X. de Homicid.* adeoque & D. Auguſtus Elector. *p. 4. Conſt. 4 §. 1. verb.* Da aber die Frucht nicht gelebet/ und ſolches noch unter der Helfte der Empfängniß geſchehen &c: ſo ſoll Sie Wilkührlich mit Staupenſchlägen/ Verweiſung oder Gefängniß/ nach geſtalt der Verbrechung/ geſtraffet werden. definivit, ſi antè dimidium temporis, â conceptione (ad partum usque) numerandi, ejectus fuerit, quia tunc vitalis nondum fuerit, abigens homicidii pœna non punitur. *Carpzov. in juriſpr. Forenſi ad Dict. Conſtit. Defin. 1. & 2. vid. Damhaud. in Prax. Crimin. c. 84 n. 30. Ludov. Carez. in Prax. Crimin. de Homicid. in princip. n. 21. & ſeq. Covarruvias in Clement. ſi furioſus Par. 2 §. 3. n. 1. de Homicid. Henr. Hahnius ad VVeſſemb. tit. ff. ad L. Cornel. de Sicar. n. 5.*

III.

Porrò in Definitione dixi, *Hominis* abſolutè & indiſtinctè, quia neque ſeipſum interficere conceſſum, *c. non licet, c. non eſt noſtrum XXIII. qv. 5. l. 6. §. 6. ff. de re militari. L. ſ. §. 4. ff. de bon. eor. qui antè ſent. mort. ſibi conſciv.* neque alium, etiam volentem, *L. 13. pr. ff. ad L. Aquil. L. 4. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Neque ſervum ſive

 propri-

propriam ſive alienum §. 2. *Inſtit. de his qui ſui vel al. jur. ſunt. L. 28. §. 9 ff. ad L. Aquil. L. ex morte C. eod.* neque infantem *L. pen. C. ad L. Cornel. de Sicar.* neque fœminam *L. 38. §. 5. ff. de pœnis* nam & fœminæ hominis appellatione continentur. *L. 152. ff. de V. S. L. 66. §. 1. ff. de Leg. 2.* & generaliter hominem homini cujuscunque conditionis ſit inſidiari nefas eſt. *l. 1. §. 2. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Tandem ſubjeci AB HOMINE; quando enim homo à Bruto animali perimitur, non homicidium, ſed pauperies dicitur. *Tot. tit. inſtit & pandect. ſi quadrup. pauper ſec. dicatur.* Denique dixi NON IVRE FACTA; ad excludendos omnes eos Caſus, quibus homines Jure occidi poſſunt, ut cum miles hoſtem, vel judicis iuſſu Carnifex aut Commentarienſis nocentem occidit *c. ſi non licet §. ſed his exceptis & c. ſi homicidium. 1. homicidas XXIII. qv. 5. L. 29. §. pen. ff. ad L. Aquil. L. 0. C. de his qui ad Eccleſiam confug.* vel quando quis legitimè obſervato moderamine inculpatæ tutelæ ſui defendendi cauſa aggreſſorem interfecit. *L. 3. ff. de Iuſt. & Iur.* Juris enim Executio non habet injuriam *L. 13. §. 1. & 6. ff. de injur.* & vim vi repellere omnes LL. omniaque jura permittunt. *c. ſignificaſti 18. in f. de homicid.*

IV.

Quum autem ſecundum *Lancellotum in §. 1. Inſtit. de Homicidio.* non ad opera tantum in crimine homicidii ſit reſpiciendum, ſed tempus, cauſa, voluntas, perſonarum differentia, & omnia quæ operibus accedunt, perveſtiganda ſint, adeò ut hæc omnia ad aggravandum Delictum & augendam pœnam multum faciant *Anton. Matthæ. de Criminib. tit. de pœnis c. 4. n. 12. & ſeqq.* ſequitur, quod non ſit omnium homicidiorum, voce latius ſcilicet acceptâ, eadem conditio: hinc etiam Dd. communi-

ter diſtinguunt homicidia in doloſa, culpoſa, & Caſualia. Diviſio enim in voluntarium & Caſuale rectè manca atque imperfecta dicitur *Bocer. Tract. de Omn. Gener. Homicid. Lib. 1. C. 1. n. 48. & ſeqq: & Dn. Habnius ad VVeſemb. tit. ff. ad L. Corn. de Sicar. n. 5.* Doloſum dicitur, quando homo à ſciente & volente dolo malo occiditur: Culpoſum, quando occidens non quidem habet animum doloſum occidendi vel vulnerandi, culpâ tamen interveniente vel præcedente aliquem occidit. Caſuale denique dicitur, quod Caſu inopinato propter principium aliquod extrinſecum committitur. *Conf. Magnificus atque Excellentiſſimus Dn. Caſparus Zieglerus, Hoſpes atque Doctor olim honoratiſſimus in Comment. ad Lancellott. inſtit. L. 4. tit. 10. §. 1. p. 997.*

V.

Porrò Nonnulli homicidium aliud verum, aliud quaſi faciunt. Fundamentum hujus Diviſionis deſumunt *ex C. Henricus. fin. X. de Clericis pugnant. in Duello. & l. 15. ff. ad L. Aquil.* Illius exempla ſunt in propatulo, Hujus v. g. ſunt, quando quis hominem liberare potuit à morte & non liberavit. *C. ſicut dignum §. illi etiam X. de Homicid.* item quando ſterilitatis poculum alteri dedit. *c. ſi aliquis 5. X. eod. & ſimilia.*

VI.

Tandem Homicidium dividitur in Criminoſum & non Criminoſum; illud vocatur, quod dolo eſt commiſſum, & habet ſpecies homicidium in ſpecie tale ein Muthwilliger vorſätzlicher Todſchlag/ veneficium & parricidium. Hoc Crimine vacat, & eſt tale vel ratione occidentis, vel ratione occiſi etc. *uti hoc fuſius ex Bocero loco laudatô deducit D. Hahn. d. l. p. m. 518.*

VII. De

VII.

Denique Homicidium eſt unum ex illis Criminibus quæ quis non per ſe tantum, ſed etiam per alium dolo malo committere poteſt. *arg. L. 7. C. ad L. Corn. de Sicar. L. un. C. de Emendat. Serv. in c. in quibusdam X. de pœnis & alibi.* Ideoque hic eſt Locus Regulæ illi *in C. poteſt 68. de R. I. in 6to.* poteſt quis per alium quod poteſt facere per ſeipſum. Occidit verò per alium, qui vel mandat homicidium fieri, vel ſuo nomine factum ratihabet vel conſilium aut cauſam aliquam præbet. *C. ſicut 6. §. 2. c. ſuſcepimus. 10. c. ſignificaſti 18. §. nos in prætermiſſis. X. de Homicid.* Et licet Conſilium in Contractibus regulariter obligatorium non ſit, in delictis tamen ad pœnam obligat, præprimis ſi ſine conſilio mandatarius facinus non erat patraturus. *L. 1. §. perſuadere ff. de ſerv. Corrupt. L. 16. pr. de pœnis.* Sic etiam in Delictis Ratihabitio mandato comparatur. *L. 152. §. in Maleficio ff. de R. I. L. 1. §. 14. L. 3. §. 10. ff. de vi & vi Armat.* Mandatum verò homicidii vel gratuitò vel pretio interveniente ſuſcipi ſolet. *L. 10. ff. de Pœnis.* & utrumque tàm mandantem, quàm Mandatarium ad pœnam obligat, non obſtantibus *L. 6. §. 3. & L. 22. §. 6. ff. Mandati*, nam hæ LL. ita intelligendæ ſunt ut inter Mandantem & Mandatarium tunc nulla detur Actio directa neque contraria, utrumque tamen ultioni & pœnæ ſubjacere. *Conf. Dn. Hahnius ad VVeſemb. Tit. ff. Mandati n. 1.*

VIII.

Quando itaque aliquis occidit aliquem ad inſtantiam vel Mandatum alterius, corruptus pretió vel pecuniâ, ASSASINIVM à Ddbus appellatur. Cur autem ita dicatur ex Paulo Æmilio optimè exponunt Franciſcus Duarenus *Lib. 2. Diſp. Anniv. Cap. 12. & Tiberius Decianus in Tr.*

Crim

Crim. L. 9. c. 30. Scilicet ASSASINI proprio nomine Arſacidæ dicti ex genere quodam Perſarum (vel, uti *Volateran. Lib. 11. c. de Sectis Syriæ* vult, eos fuiſſe ex Gente Syriaca) tempore Innocentii IV., qui cum impietatis eſſent Muhameticæ conjurarunt in necem Chriſtianorum tantâ cum pertinaciâ, ut ſibi perſuaderent vitam ſe conſecuturos æternam, ſi aliquem ex Chriſtianis necaſſent. Et ideò ut ſcelus hoc nefandum adimplerent, addiſcebant Chriſtianorum idiomata, ut cum didiciſſent, poſſent proditoriè incautos & non ſibi proſpicientes tollere, nihil metuentes mori, ſi id executi deprehenderentur, uti hoc ipſum exponit *Petrus Gregorius Tholoſanus ad Ius Pontif. in Tract. de Beneficiis cap. 26. n. 7.* qui & porrò conſuli poteſt.

IX.

Neutiquam ergò verum & genuinum ἔτυμον vocis ASSASINII eſt, quod à ſcindendo dicatur, ac ſi ASSASINVS animam à corpore ſcindat, uti ſentit *Gemin: in Cap. 1. §. Cum igitur de homicid. in 6. 10.* Aliàs enim Homicida quivis, vel etiam Carnifex, ASSASINVS eſſet dicendus, ſed, uti anteà dictum, nomen & originem habet hoc Delictum ab ASSASINIS Incolis Aſiæ Regionis. vid. *Bened. Carpzov. in pract. Crimin. P. 1. qv. 19. n. 1.* Et communiter ASSASINI nomine venit tum Mandans, tum Mandatarius; licet à quibusdam Mandans ASSASINATOR, Mandatarius autem in ſpecie ASSASINVS dicatur. *Conf. Zieglerus l. c. ad verb: unde non ſolum ASSASINI &c. p. 997 Jod. Damhouderus in Pract. Crim. c. 83. in f.* Et licèt *cap. 1. de Homicidio in 6to* loqui videatur tantùm de populo ASSASINORVM infideli, & nonnulli etiam Doctores hoc ipſum neutiquam ad Chriſtianos extendendum putent;

 nihilo-

nihilominus tamen rectè ſtatuit *B. Carpzovius l. c. n. 3.* quod ſecundum ſaniorum Iuris Conſultorum aſſerta dicti capituli primi deciſio extendenda ſit omnimodò ad Chriſtianos quoque, qui Chriſtianum pecuniâ conducunt ad occidendum etiam Chriſtianum, quod & dicto loco LLbus. & Ddbus ſatis commonſtrat.

X.

Deſcribitur communiter ASSASINIUM, Quod SIT HOMICIDIUM AB ALIQUO AD HOC MERCEDE CONDUCTO, AD ALTERIUS MANDATUM, COMMISSUM. De genere hujus Deſcriptionis in antecedancis Theſibus ſatis ſuperque dixi, in ſequentibus itaque de formali hujus Delicti, atque Ejusdem Differentiâ ſpecificâ, item de Perſonis, fine, cæterisque circumſtantiis atque pœnâ fuſius erit dicendum.

XI.

Formale igitur & Differentia ſpecifica hujus Delicti conſiſtit in Mandato, hinc rectè concludo, quod Homicidium, cui Mandatum directam cauſam præbuit, tàm Mandantis, quàm Mandatarii morte ex L. Cornelia vindicandum ſit. Nihil enim intereſt, inquit *ICtus Ulpianus in L. 15. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Occidat quis an mortis cauſam præbeat; & occidiſſe dicitur vulgò, qui mortis cauſam quolibet modo præbuit. *L. 51. pr. ff. ad L. Aquil.* & licet percuſſor certus ſit, tamen habenda eſt quæſtio, ut cædis mandator inveniatur. *l. 6. pr. ff. ad SCtum Sylan:* quum ſcilicet is, qui occaſionem Damni dat, damnum dediſſe videatur *c. ult. X. de Injur.* & ſecundum vulgare iſtud, quod quis per alium facit, perindè eſt, ac ſi faciat per ſeipſum. *c. qui facit 72. de R. I in 6to.* Ac proindè indubitati Juris eſt, quando plura Delicta in unum concurrunt,

nunquam

nunquam faciunt, ut alterutrius impunitas detur, aut ut unius delicti ob aliud minuatur pœna. *L. 2. ff. de privat. Delictis*. Jam verò in præſenti caſu ſunt duo delicta, Mandantis alterum, alterum Mandatarii, Ergò punito Mandatario, nihilominus puniendus adhuc quoque erit Mandans. Minor probatur: quoties enim plures ſimul delinquunt, non unum delictum, ſed plura numero diſtincta committuntur, omnesque in ſolidum ad eandem pœnam obligantur. v. g. ſi plures ſimul album prætoris corruperunt, vel eum, qui in jus vocabitur vi exemerunt, vel trabe dejecta hominem oppreſſerunt, vel ſervum alienum vulneraverunt, vel tignum furati ſunt, vel alicui convicium fecerunt, vel eandem arborem furtim ceciderunt, vel in ſepulchro alieno terram congeſſerunt, aut hæc omnia fieri mandaverunt, omnes in ſolidum dictorum maleficiorum pœnis tenentur, & unum eorum pœnam luere non ſufficit. *L. 7. §. f. & l. ſequ. ff. de Iurisdict. Omn. Iud. L. pen. & ult. ff. ne quis eum, qui in Ius voc. vi exim. l. 11. ſi plures L. 51. §. 1. & 2. in f. ff. ad L. Aquil. L. 21. §. 9. ff. de furtis. L. 1. C. de Condict. furt. L. 1. §. fin. ff. ſi is qui Teſtam. Lib. eſſe l. 34. ff. de injur. L. 6. ff. Arbor. furt. cæſ. L. 15. §. 2. ff. quod vi aut clam.* Accedit & hoc, quod aliàs quandoque facientes & conſentientes eâdem pœnâ ſint plectendi, maximè in atrocibus delictis. Conf. ea quæ tradit *Andreas Gailius Lib. 1. de P. P. c. 1. n. 43.*

XII.

Ampliatur hoc ipſum (1) ut ASSASINUS ſeu mandatarius interfector, qui per errorem Florentinum obtruncavit, quum de Cajo Mandatum accepiſſet, ſimul cum mandante, ultimo ſupplicio ſit afficiendus. Licet equidem error conſenſui maximè contrarius ſit, cumque

 tollat,

tollat, *L. 15. ff. de Juriſdict.* adeoque variæ circa errorem quæſtiones à Ddbus in jure noſtro ventilentur vid. *Zaſius Comment. ad ff. tit. de Iuriſdict. n. 7. & ſeqq.* nihilominus tamen error & ignorantia ejus qualitatis aut circumſtantiæ, quæ non addit ſpecialem malitiam delicto non excuſat delinquentem à pœnâ ordinariâ illius delicti, ſed in ſpecie præſentis caſus circumſtantia Perſonæ Caji in Mandato appoſita non addit ſpecialem malitiam Delicto homicidii; Ergò error in perſona Caji non excuſat à pœna ordinariâ Legis Corneliæ de Sicariis. Major probatur *per L. 21. §. 2. ff. de Furt.* ubi is qui æs ſubripuit, dum aurum eſſe putaret, errore qualitatis non excuſatur à furto, & in *L. 43. §. 4. ff. eod.* qui alienum quid jacens lucri faciendi cauſa ſuſtulit, furti obſtringitur, ſive ſciat ſive ignoret cujusnam ſit, nihil enim inquit ICtus ibidem ad furtum minuendum facit, quod cujus ſit ignoret. *Conf. L. 27. §. 5. ff. ad, L. Jul. de Adult. & L. 5. §. 1. ff. de Serv. Corrupt.* Elegans quoque eſt textus *in L. 18. §. 3. ff. de injur:* Ubi ICtus Paulus ait: *Si injuria mihi fiat ab eo cui ſum ignotus, aut ſi quis putet me Lucium Titium eſſe, quum ſim Cajus Sejus, prævalet quod principale eſt, injuriam mihi eum facere velle, nam certus ego ſum, licet ille putet me alium eſſe quam ſum,* &c. *Conf. L. 45. §. pen. ff. ad L. Aquil.* Minor probatur, quia in Caſu noſtro homicidium absque circumſtantia perſonæ Caji conſideratum perfectum & voluntarium Crimen eſt. ASSASINUS enim animum occidendi habuit, & dolum malum, & licet erraverit in perſonâ, non tamen in corpore; neque hoc loco quæſtio eſt de puniendo eo, qui occidit Florentinum vel Cajum, ſed annon is, qui occidit, puniendus ſit, adeoque ſufficit quod voluerit hominem occidere, & hominem occiderit, quamvis in

vis in perſona erraverit, *Conf. Didacus Covarruvias in Tom. 1. Relect. C. Alma Mater. part: 1. §. 10. n. 14. pag 371 Andr. de Iſern: in Conſtit: Neapol: lib: 1. Rubr: 13. de homine: pun. n. 5.*

XIII.

Notum inſuper eſt ex jure Civili, quod is, qui cum Telo ambulat hominis occidendi cauſa, etiamſi non occidat, pœna Legis Corneliæ teneatur. *L. 1. pr. & L. 7 ff. ad L. Corn: de Sicar. & §. 5. Inſt: de publ. Iud:* & is qui amatorium poculum alicui ſine dolo malo præbuit, ſummo ſupplicio afficiatur *L 38. §. 5 ff. de pœnis.* Ergo multò magis prædicta pœna maneat illum, qui & cum telo hominis occidendi cauſa ambulavit, & dolo malo hominem, licèt non eum quem volebat, obtruncavit. Majoribus quippe delictis major quoque pœna infligi debet. *L. 12. pr ff. de pœn: l. 31 in pr ff. ad l. Cornel. de Sicar:* & juxta modum culpæ pœna imponenda eſt. *c. ult. X. de ſtat. Monach. c. 2. X. de his quæ fiunt à major: par: Capit:* Atque hæ rationes tam in Mandatario quam in Mandante obtinent, nullum enim dubium eſt, quin is verè delinquat, cujus mandato vel autoritate delictum committi probatur. *c. mulieres 6. §. 1. & c. ut fama 35. X. de Sentent. Excom: l. 169. ff. de R. J. & præprimis videatur C. is qui mandat, ult: de homicid: in 6to.*

XIV.

Ampliatur (2.) ut ASSASINVS, qui hominem quidem non occidit, ſed eniſus eſt, inſidias ſtruxit & vulneravit, ea mente ut occideret, pro homicida tenendus & ſociatim cum Mandante damnandus ſit. Longè enim improbiores ſunt inſidiæ quam vis aperta, & vim vi repellere poſſumus, inſidias autem non niſi præmoniti vitare

non poſſumus, & ut maximè ſimus præmoniti, ſemper i- nimicus nobis non ſemper caventibus inſidiari poteſt. *Zieglerus l. c. p. 998.* atteſtatur Idem illud ICtus Martianus *in L. 1. §. 3. ff. ad l. Cornel. de Sicar:* eum *ſcil.* qui hominem non occidit, ſed vulneravit ut occidat, pro homicidâ damnandum eſſe, hinc etiam Bonifacius VIII. *in c. 1. de Homicid. in 6to.* graviſſimas pœnas in Mandantes ASSASINII decrevit, quibus eos ſubjacere vult, etiamſi mors inde non ſit ſubſecuta. *Julius Clarus L. 5. §. ult. quæſt. 92. Didacus Covarruvias in Clement: ſi furioſus par: 2: in princ. n. 10. Gailius de P. P. lib. 1. c. 14. n. 4. & ſeqq. VVeſembec. in Paratitl. ad Tit: ff. ad L. Cornel. de Sicar. n. 16. ibiq́; Dn. Hahnius.* Nec mirum, homicidium enim inter atrociora Delicta numeratur; *l. 1. ff. de publ jud. & paſſim,* in atrocioribus verò delictis ubi deventum eſt ad actum maleficio proximum conatus æque punitur ac effectus, & non exitus, ſed voluntas ſpectatur. *l. 14. ff. ad L. Cornel. de Sicar. L. 79. ff. de R. j.* & voluntate ac propoſito diſtinguuntur maleficia *C. cum voluntates 4. de Sent. Excom. L. 53. ff. de furt: L. 33. ff. de injur:* & generaliter notandum, quoties non ſtat per aliquem, quò minus actus perficiatur, tunc ejusmodi actus pro completo & pro perfecto habetur. *L. 5. §. 17. l. 20. §. 5. de oper. Nov. Nunc. Conf. Dambauderus in prax. Crimin. C. 67. n. 13.*

XV.

Ampliatur (3.) ut juſſus Domini, vel alterius alicujus, qui imperandi poteſtatem habuit, non excuſet obtemperantem à pœna in Sicarios conſtituta, ſed in utrumque agi poſſe; Servus quippe non in omnibus rebus ſine pœna, Domini dicto obediens eſſe ſolet, inquit *ICtus Alphenus in L. 20. ff de O. & A, & Paulus in L. 21. §. 1. inf. ff. Rer: Amot: & Vlpianus in l. 17. § 7. ff. de injur: Menoch. de Arbitr: jud: lib.*

lib. 2. Cent. 4. Cas 354. Proindè ad perpetranda ea Crimina, quæ atrocia ſunt, nullo metu, nullaque neceſſitate adduci quis debet *C. ſacris X. de his qua vi Met: c. Lotharius XXXI. quæſt. 2.* ſed moriendum potius, quam delinquendum. *Ariſtoteles lib. 3. Ethic. c. 1.* quum ſcilicet coacta voluntas etiam ſi voluntas *c. merito XV. quæſt 1. c. Majores 3. §. propter quod X. de Baptiſm.* adeoque & Crimen quod ab ejusmodi voluntate proficiſcitur voluntarium nihilominus Crimen eſt *Conf. Pacius cent. 2. quæſt. 67. Didacus Covarruvias de Sponſal. part. 1. c. 4. §. 1. n. 18.* Accedit & hoc, quod DEO magis ſit obediendum, quàm hominibus. *C. ſi Dominus ea jubet & C. Iulianus XI. quæſt. 3.* & nihil contra conſcientiam faciendum. *c. inquiſitioni 44. X. de Sentent. Excomm:* Omne enim quod contra conſcientiam fit, ædificat Gehennam. *C. literas 13. X. de Reſtit: ſpoliat: & c. per Tuas 35. X. de Simon.* In criminibus verò non adeò atrocioribus ignoſcitur ſervis, ſi vel Dominis, vel his, qui Dominorum loco ſunt, veluti Tutoribus & Curatoribus, obtemperaverunt *l. 11. §. 7. ff. quod vi aut clam l. 2. §. 1. ff. de Noxal. Act: l. 157. ff. de R. j.* Atque ita intelligendæ ſunt pleræque LL. quæ aſſerere videntur, quod imperium Patris Domini vel Judicis excuſet à Delicto & Dolo. *l. 4. l. 167. §. 1. l. 169. l. 66. ff. de R. l, & alia.* Iam verò Homicidium eſt atrociſſimum Delictum, uti in antecedentibus Theſibus dixi, Ergo rectè ac firmiter concludere poſſum, quod Mandatarius, quisquis etiam ille ſit, nullius juſſu aut imperio excuſari debeat.

XVI.

Limitantur verò ea, quæ antea dixi, (1.) ut mandatum, quod ſine dolo malo, aut animo occidendi factum eſt, aut ante admiſſam cædem exſpiravit, vel de quo liquido

quido non conſtat, in Mandante Capitalem pœnam non mereatur. Manifeſti enim juris eſt, quod in præſenti crimine, uti & in homicidio, requiratur dolus & animus occidendi, aliâs homicidium committi non dicitur. *per c. ſi dignum 6, §. 1. & in c. ſignificaſtis 18. X. de homicid: l. 1. §. 3. ff. ad l. Corn. de Sicariis l. 7. l. 16. ff. & l. 1. C. eod:* Undè illud Calliſtrati: in delictis non exitus, ſed voluntas ſpectatur. *l. 14. ff. d. t. ad l. Corn. de Sicar:* et licet in contractibus Lata culpa dolo æquiparetur *l. 226. ff. de V. S. l. 32. ff. depos. l. 7. §. ſi fraus ff. de ſuspect: Tut:* tamen in Delictis lata culpa à dolo diſtinguitur *l. 7. ff. ad l. Corn. de Sicar: l. 1. l. 3. & 4. ff. de ſerv. corrupt: l. 50. §. 2. & fin ff. de Furt.* Ideoque ad incurrendam pœnam Ordinariam Delicti culpa lata non ſufficit, ſed Dolus omninò requiritur. *Conf. Clarus l. 1. ſent: §. homicid: verſ: culpa dicitur & §. ult. quæſt. 84. in pr. Anton: Gomez. Tom. 3. cap. 3. n. 15. Damhoud: in prax: Crim: c. 61. n. 89. Gailius l. 2. Obſer. 110. in princ.* Deindè etiam h. l. requiritur exiſtentia Mandati, antequam enim crimen puniri debet, ſatis de eodem prius conſtare debet. *l. 1. §. 24. ff. ad SCtum Syllan: l. 1. §. 27. ff. de Quæſtion:* & factum ante omnia præſupponendum eſt *arg: l. 24. ff. de re Militari*, quia obligationes delictorum ex fâcto oriri dicuntur *l. 25. §. 1. & l. 52. §. 4. ff. de O. & A.* & porrò ex facto jus oritur *l. 52. ff. ad L. Aquil.* jam verò non Entis nullæ ſunt affectiones. *l. 82 pr. ff. de legat: 2. l. 4. §. 1. ff. de Act: Empti.* Hinc ergo ad imponendam pœnam ordinariam Homicidii non ſufficiit aliquando Mandatum factum fuiſſe, ſed requiritur ſubindè illud nullo unquam tempore abolitum & extinctum fuiſſe. Aſt finita voluntate Mandatum extingui Juris eſt notorii vid: *l. 12. §. 1. 6. ff. Mandati & Dd ad h. tit.*

XVII. Li-

Limitâtur (2.) ut Mandatum homicidium Mandantem in ſumma, & quod dicitur profunda aut inopinata ebrietate conſtitutum à pœna ordinaria Legis Corneliæ liberet. Notum enim eſt, quod furioſus homicida pœna Legis Corneliæ ordinaria non puniatur per *l. 12. ff. ad l. Corn. de Sicar: c. aliquos XV. quæſt. 1.* quia non intelligit, quid agit, *§. 8. Inſt. de inut. ſtipul.* & voluntas Furioſi nulla *l. 40. ff. de R. I.* abſentis & ignorantis loco habetur. *l. 7. §. 11. ff. de injur. l. 2 §. 3 ff. de jur. Codicill*: immò mortuo comparatur *l. 24 ff. rem rat. hab.* & per conſequens Capitalem fraudem committere nequit. *l. 23. § 2. ff. de AEdil. Edict.* jam verò Ebrius ſimilis eſt furioſo *c. venter 35. Diſt.* & ut furor, ita & Ebrietas inducit mentis exilium *c. à Crapula. 14. X. de vit: & honeſt: Cleric.* Ergo & taliter ebrius Homicida Pœna L. Corneliæ puniri non debet. Accedit inſigne illud effatum ICti *in, l. 6. §. 7. in f ff. de Re milit: inquientis: per vinum aut laſciviam lapſis capitalem pœnam remittendam eſſe:* Aſtipulantur Theodoſius, Arcadius & Honorarius Impp: *in un. C. ſiquis Imp. maledix:* ubi illum à pœna immunem pronunciant, qui ebrius Imperatorem ſugillavit. Elegans quoque eſt textus *in c. inebriaverunt XV. quæſt. 1.* ubi inopinata ebrietas Lothum ab inceſtu excuſat, vid: *Gailius lib. 2. Obſ. 110. n 24. & ſeqq. Menoch. de Arbitr: Iud. Cas: 326. Vasquius illuſtr: quæſt: c. 19. n. 4. Damhouderus in Prax: Crim: c. 84. n. 15. & ſeqq.* Hoc ipſum tamen non promiſcuè de quocunque ebrio procedit, ſed locum tantummodo habet in magna atque immodica ebrietate, quæ mentis alienationem inducit. *Petrus Theodor: in Colleg. Crimin. Diſp. 10. th 4. lit. l. & Diſp.*

7. Tb. 7 lit. b. Deindè etiam hoc obtinet ita, quando talem in ſe reverſum ebrietate ceſſante pœniteat delicti in Ebrietate commiſſi, ſecus verò ſi de eo glorietur, quoniam tunc ex ratihabitione ſubſecuta apparet, quod eodem modo deliquiſſet, ſi non fuiſſet ebrius. *Iacob. Menoch: de Arbitr. Iudic. quæſt. lib. 2. Caſ. 236. n. 10.* Porrò etiam is neutiquam à pœnâ ordinariâ immunis eſt, qui non ignorat ſe ſolitum in Ebrietate delinquere, atque alios percutere ac offendere, & tamen non abſtinet ab immodica potatione. *Proſper. Farinac. part. 3 oper. Crimi. q. 93. n. 20.* Alias inſuper Limitationes vide ap. *Carpz. pract. Crim. p. 3. q. 146.*

XVIII.

Limitatur (3). Vt mandans non teneatur pœnâ Legis Corneliæ, quaudo vel ipſe ante peractam cædem obiit, vel re integra mandatum revocavit, & ad notitiam Mandatarii pervenit. *Pacius Cent. 1. quæſt. 61. Farinac. lib. 9. c. 5. & 33. Hartmann. Piſtoris lib. 1. quæſt. 27.* Mandatum enim morte mandantis exſpirat & ſolvitur *l. 26. pr. & l. ſequ. §. 3. l. 58. ff. Mandat.* & quemadmodum mors omnia ſolvit *Nov. 22. c. 20. in pr.* ita & Crimina mortalitate extinguuntur *l. ſ. ff. ad l. Iul. Majeſt. l. 3. l. 6. ff. de publ. jud.* Et porrò omne Mandatum extinguitur etiam revocatione & mutatione ſive tacita ſive expreſſa *§. 10. Inſt. Mandat. l. 12. §. 16. l. 27. § 1. ff. eod. Didac. Coverruv. in clement. ſi furioſus Par. 2. in pr. n. 9.* Cujus enim eſt Mandati Legem dare ejus etiam eſt idem revocare. *l. 14. ff. de Re Judic.* Obſervan-

ſervadum tamen h. l. eſt, uti dixi, ut res adhuc integrâ ſit, & revocatio pervenerit ad notitiam Mandatarii, aliàs enim mandatum ſubſiſtit & obligat. *l. 15. ff. Mandati. l. 12. ff. ad SCtum Maced. l. 12. §. 2. l. 38. §. 1. ff. de ſolut. c. auditis 8. & c. mandato 13. X. de procurat.*

XIX.

Quæritur autem: quod ſi Mandans vulnerare aut verberare tantum jusſerit, Aſſaſinus autem homini necem inferat, an propterea Aſſaſinator ſeu mandans pœna ordinaria ſeu morte mulctandus ſit? Fateor equidem, quòd multi ICtorum ſint, qui hanc pœnam inhumanam prorſus pronuncient, adeoque negent conſtantiſſimè, quòd mandans pœnâ ordinariâ in præſenti caſu afficiendus jure ſit, inter quos ſunt Beſoldus, Guido Pape, Covarruvias, aliique: Aſt verior omnino in theſi eſt ſententia, quòd & Mandans licet vulnerare vel verberare tantum juſſerit, ordinariâ pœna plectendus ſit: Generalis quippè eſt redula *ICti in l. 15. antea ſæpius laudata 15. ff. ad l. Corn. de ſicariis*: Nihil intereſt, occidat quis, an cauſam mortis dolo malo præbeat, *VVeſenb. in parat. ff. Tit. ad l. Cornel. de ſicar. n. 13.* Deindè & Mandans plus delinquit quàm Mandatarius; Ille enim delinquit & in ſe ipſum, & in Mandatarium, quem corrumpit ut occidat, & in occiſum; Mandatarius autem delinquit tantùm in ſe & in interfectum *Maſcard. de prob. l. 2. Concl. 1012. n. 1. AEgid. Boſſ. in Tit. de Mandat. ad Homicid. n. 1.* Accedit & hoc quod non ſemper adeſſe debeat animus occidendi, ut in Crimine homicidij pœna gladij obtineat, ſed ſufficit homicidium verſari in dolo, & cauſam mortis doloſè

præbere arg. *d. l. 15. ff. ad l. Cornel. de ſicar.* Ille enim, qui dat operam rei illicitæ, tenetur quoque de omni eo, quod ſequitur præter illius intentionem & voluntatem, ſi ſcil. cauſſa ſit ordinata, & tendat ad ſubſecutum delictum. *Carpzov. d. l. p. 1. qu. 1. n. 27.* jam verò mandans vulnerari malitioſum vel doloſum habet animum ad id, ex quo proximê mors ſequitur, & dat operam rei illicitæ, præcipuè quùm ſciat vulnera non dari ad menſuram. Et quis velit aſſerere, quod in poteſtate Mandatarij ſive Aſſaſini poſitum ſit in præſenti caſu fines mandati cuſtodire? juſſus enim erat Aſſaſinus gladio vel Enſe vulnerare, Ictus autem in ſuâ poteſtate non habet, neque vulnera ſecundum menſuram infligere poteſt, adeoque ea quæ exinde veniunt, non Mandatario, ſed Mandanti imputanda ſunt. Hæc tamen omnia uti antea dixi, in theſi vera ſunt, atque ita procedunt, ſecus tamen ſe res habet in hypotheſi vel in applicatione ad quosdam caſus obvenientes: Poteſt enim v. g. contingere; ut Mandatarius abſque mandato hoccine etiam perpetraturus fuiſſet; tunc equidem non poteſt iſtud mandatum tranſire in conſilium, quia datur gratiâ ejus, qui conſilium petit, quod non fit, quando Mandans ignorat mandatarium occidere velle. *Joh. Decianus in Tract. de Crim. lib. 9. c. 36. n. 14. Conf. Carpz. l. c. p. 1. qu. 1. & 4. ubi n. 31. tale præjudicium addit.* hat die gefangene in guten bekand und geſtanden/ daß ſie ihren Bruder N. als derſelbe den Stiefvater albereits mit der Krautſtoſſen übel geſchlagen/ daß er kaum ſitzen können/ geheiſſen/ den Stiffvater vollens todtzuſchlagen/ denn ſie vor Ihm künfftig nicht ſicher ſeyn würden/ nach mehrern inhalt ihres bekändnis/ ſo wird ſie geſtalten ſachen nach mit Staupenſchlägen des Landes ewig billig verwieſen.

XX. Diſ-

XX.

Diſquiritur jam de foro, vel loco Iudicii, ubi Mandans & Mandatarius ASSASINII puniri debeant? Et generaliter aſſero, quod ubi cædes eſt peracta, ibi Mandans & Mandarius capitali ſententia feriri debent. Tritiſſimum enim ac in jure noſtro ſatis fundatum eſt, quud quilibet in eo loco ſupplicio affici debeat, ubi deliquit. Homicidæ autem ambo, ſunt ex antea dictis & Mandans & Mandatarius, jam verò Homicida Remp. illam, cui Civem eripuit, gravi injuriâ affecit *arg. l. 15. ff. de ventr. in poſſeſſ. mit. l. 19. §. 7. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ.* E. ab eadem Rep. quoque puniatur. *Boſſ. de Foro Compet. n. 109. & 147.* ſic & in Contractibus Mandans ibi ſortitur forum ubi Mandatarius contraxit, multò magis in delictis idem dicendum eſt. Valet enim argumentum à Contractibus ad Delicta & contra, *Teſte Nicolao Everhardo in Top. Loc. 20.* Intelligitur enim aliquis quaſi contraxiſſe in eo loco, ubi deliquit, unde etiam delicta dicuntur contrahi *l. 1. ff. de LL. L. ult. ff. de Accus:* & mali contractus appellantur. *l. 52. ff. de Re Iudic.* ac proindè quemadmodum ex Contractibus ita etiam ex Delictis Obligationes naſcuntur *§. fin. Inſt. de Obligat. & Tot. Tit. de Oblig. quæ ex Delict. naſc. Conf. l. 61. ff. de Fidejuſſ. & l. 3. ff. de judic.*

XXI.

Notandum tamen quod & loci & temporis differentiæ Delicta maximè discriminent *c. 6. in pr. X. de homicid. l. 16. §. 4. & ſeq. ff. de pœnis. l. 6. in pr. ad L. Iul. pecu-*

 lat.

lat. Et quemadmodum pro diverſitate regionum diverſa eſt æſtimatio verum *l. 63. §. fin. ff. ad l. Falcid. & l. 3. ff. de eo quod certo loco*, ita quoque unum idemque Delictum in alio loco puuitur levius, in alio durius, in alio nec criminis quidem ſpeciem habet. *l. 16. §. pen. & ult. ff. de pœn. vis.* Sic in Arabia grave crimen eſt Lapidum Poſitio *l. 9. ff. de Extraord. crim.* In Ægypto Chomatum Nili i. e. aggerum continentium aquam Niloticam diſſolutio *l. 10. ff. eod. l. un. C. de Nili agger. non rump.* In Africa graviter puniuntur Meſſium incenſores *l. 16. §. penult. ff. de Pœnis.* Et generaliter evenit, ut quorundam maleficiorum ſupplicia exacerbertur, quoties nimium multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit. *d. L. 16. §. fin. & l. 11. §. 2. ff. hoc tit. Vid. Guid. Pap. Dec. 200. num. 15.*

XXII.

Quæritur porrò, quod ſi alia pœna in loco mandati, alia in loco Delicti perpetrati in Sicarios conſtituta ſit, quanam Mandans & Mandatarius afficiendi ſint? Reſp. Pœnam in loco Delicti ſtatutam ſentient ambo Mandans & Mandatarius, regula enim generalis eſt, quod mos regionis obſervari debeat, *l. 1. §. fin. ff. de inſpic. ventr. cuſtod. part. l. 50. §. fin. ff. de Legat. 1.* & hoc procedit non tantum in contractibus, ſed etiam in Delictis *Auth. qua in Provinsia C. ubi de Crim. agi oportet. Novell 69. c. 1.* Hinc etiam Ariſtoteles *lib. 5. Polit. c. 11. ait*: Oportet ſupplicia more patrio ſumi, ideoque Dd. recte dicunt Statuta pœnalia comprehendere etiam Forenſes delinquentes in loco ſta-

eo ſtatuti. *Iul. Clar. lib. 5. Sent. §. ult. quæſt. 85. n. 2.* & jus Municipale puniens homicidam eo ipſo quoque punire Mandantem. *Cyn. in l. non dubium C. de LL. Iaſon. in l. Si is qui pro Emptore 15. n. 362. ff. de Vſurp. & Vſuc. Carer. in Prax. Crim. fol. 144. & ſeqq.* Accedit & illa ratio, quod forum ſortiri, & ſtatutis ligari hactenus ferè paria ſint. *Boer. Deciſ. 3. num. 14.* Atqui mandens homicidium fieri ſortitur forum ratione Delicti, ibi nbi Mandatarius deliquit, *per c. ult. X. de For. Compet* : *Ergò* & Mandans Statutis pœnalibus in loco Delicti conſtitutis obligatur. *Conf. ea quæ in §. 20. dixi.*

XXIII.

Antequam ad Pœnam quæ ex hoc Delicto reſultat, deveniam, præmonendum illud neceſſarium puto, quod licet ASSASINIVM Species homicidii dicatur, longe tamen gravius ſit ſimplici homicidio, idque propter pecuniam intervenientem, quæ regulariter facit Delictum atrocius & pœnam adauget. *vid. Carpzov. in Pract. Crim. Part. 1. quæſt. 19. num. 7. qui & num. 8.* egregiam ſuperaddit rationem, quod nempe ei, qui prætendit propriam vindictam, ex injuria ſibi facta, vel ira, vel odio, videatur magis parcendum, quia vix poteſt quis proprium dolorem temperare, & homo incenſus ira vel propria offenſa non dicitur in plenitudine intellectus ; ſed iſte qui delinquit corruptus pecunia non eſt proprie inimicus, nec habet excuſationem aliquam ſui delicti. *Anton. Gomez. Tom. 3. variar. Reſolut. c. 3. num. 10.* Non tamen ſemper neceſſario pecunia numerata requiritur ad hoc, ut ASSASI-

NIVM

NIVM committatur, ſed etiam ſufficit, ſi res qualiſcunque alia vel etiam minima data, vel ſaltem promiſſa quamvis non tradita ſit. *Tiber. Decian. in Tr. Crim. lib. 9. c. 30. num. 20. Jodoc. Damhaud. in Pract. Crim. c. 83. num. 1. & 4. Panormit. in c. at ſi Clerici X. de Judiciis. Salycet. in l. non ideo minus ad fin. num. 36. v. & ASSASIANI vocantur C. de Accuſationibus. Benedictus Carpzov. d. l. num. 36. usq. ad 51. incluſivè.* Deindè etiam fieri poteſt, ut cum ASSASINIO aliud aliquod Delictum concurrat. v. g. Si ASSASINATOR ſit Parricidia, & conducat ASSASINUM ad occidendum Parentem, Filium vel Conjugem, tum equidem pœna communis ASSASINII non ſufficit, ſed ASSASINATOREM pœna ordinaria Parricidii, Culei nimirùm, vel rotæ, deficiente fluminis copia, plectendum eſſe rectè putat *Carpzov. d. l. num. 40. & ſeqq.* Nec deeſt ratio, cùm ſcilicet duplex hoc caſu Delictum concurrat, ideoque delinquens puniendus erit pœna majoris Delicti, adeò ut pœna major minorem abſorbeat. *Jul. Clar. in Pract. §. fin. quaſt. 84. num. 4.* Alias quoque ſequeretur indè, quod melioris conditionis ſit Parricida, qui mediante ASSASINIO Parentes, Liberos & Conjugem occidit, quàm qui Parricidium tantùm commiſit. Quod tamen abſurdum propter pretium interveniens, uti varia recenſet præjudicia *Carpzov. d. l. num. [illegible] & ſeqq.* So möchte Sie von wegen ſolcher an ihrem Manne begangenen bößlichen und vorſetzlichen Mordthat/ darein Sie ſelbſten gewilliget/ und N. N. dieſe Mordthat zubegehen auffgetragen / befohlen / und Sie darzu conducieret und angenommen/ mit einem Hunde / Hahnen / Schlangen / und Katzen an ſtat eines Affen/ in einen Sack geſtecket ins Waſſer geworffen / und ertråncket / oder da die Gelegen-

heit /

heit des waſſers dlo Orts nicht verhanden/ mit dem Radt vom Leben zum Todt geſtraffet werden. V. R. W.

XXIV.

Tandem addendum qualis Pœna in ASSASINUM & ASSASINATOREM ſeu Mandatarium & Mandantem tam de Jure Civili, quam Canonico, item & Saxonico conſtituta ſit. Sic de Jure Canonico non ſolùm ASSASINI ipſi, ſed etiam receptatores, occultatores, conſultatores, & defenſores eorum, & qui per eosdem quenquam interfici fecerit, aut mandaverit (*ſi ſcilicet mors ipſa ſecuta fuerit, Tiber: Decian. in Tr: Crim. lib. 9. c. 30. n. 13.*) dignitatibus, honoribus officiis, beneficiis omnibusque bonis nudati excommunicationis & depoſitionis incurrunt ipſo jure ſententiam, & tanquam Chriſtianæ Religionis hoſtes, à toto Chriſtiano populo perpetuò diffidati vel, uti noſtrates loquuntur, banniti ſunt, adeoque ab omnibus impunè occidi poſſunt, paria enim habentur, quando ſtatutum aliquem facit diffidatum, & quando aliquem mandat occidi *Tiber. Decian. d. l. L. 4. c. 9. n. 78. c. 1. de Homicid: in 6to.* Carpzov *p. 3. qu. 14.*

XXV.

Hæc de Jure Canonico: In Foro civili admodum variat pœna Aſſaſinii pro varietate ſcilicet & conditione cujusque populi. Quandoque enim ultra pœnam gladii etiam rotâ tunduntur Aſſaſini, quandoque Ululatio additur per forcipes ignitos, quandoque in fruſta ſcinduntur, quandoque prius ad locum ſupplicii pertrahun-

tur per caudam Equi. *Julius Clarus in pract. §. Aſſaſſ. num. 4. Petrus Theodor. l. 1. Diſſ. 7. th. 6. lit. D. Dn. Ziegler. d. l. p. 998.* Neutra tamen harum pœnarum ut rectè obſervavit B. *Carpzov. l. c. p. 1. qu. 19. num. 11. 19. & ſeqq.* in Foro Saxonico obtinet, ſed ſecundum Saxonum Jura diſtinguit inter conductorem ſeu Aſſaſinatorem & Locatorem ſive Aſſaſinum: ille gladio punitur, & poſteà ejus Cadaver Rotæ in altum erectæ affigitur. So möchte N. N. wegen ſolcher ſeiner mißhandlung mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode geſtrafft/ und nach Vollbrachter Execution andern dergleichen mißhandlern zum Exempel und abſcheu der Cörper auff ein Rad geleget und geſtochen werden. Hic verò, ſcilicet Locator ſive Aſſaſinus Rotæ ſupplicio afficitur. So möchte N. N. wegen ſolcher begangenen und bekandten vorſätzlichen und geſliſſenen Mordthat/ darzu er ſich mit Geld dingen laſſen mit dem Rade vom Leben zum Tode gerichtet und geſtraffet werden. *Carpzov. d. l.*

Atque hæc de ASSASINII Crimine dicta impræſentiarum ſufficiant, plura ut addam & Anguſtia temporis & negotia alia, quibus jam anxiè diſtentus ſum, prorſus prohibent. Quare hic calamum ſiſto ac devotas DEO pro clementiſſima Spiritus Sancti aſſiſtentia, Magnifico verò ICtorum Ordini in hâc Alma Julia pro gratiosè conceſſis Novis Honoribus obſequioſas nuncupo gratias.

F I N I S.